



Preces jussu Papæ Leonis XIII

in omnibus Orbis Ecclesiis, post privatæ Missæ celebrationem, flexis genibus, alternatim, recitandæ.

Sacerdos ter dicat cum populo: Ave Maria.

Deinde: Salve, Regina.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

DEUS, refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitius respice; et, intercedente gloriosa et Immaculata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beato Joseph Ejus Sponso, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quas, pro conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, preces effudimus, misericors et benignus exaudi. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Addatur invocatio: Sancte Michaël Archangele, defende nos in proelio; contra nequitiam et insidias diaboli esto præsidium. — Imperet illi Deus, supplices deprecamur; tuque, Princeps militiæ cœlestis, Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude. R. Amen.

Indulgentia 300 dierum (Leo XIII).

Sacerdos ter dicat cum populo:

Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.

Indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum (Pius X, 17 junii 1904).

